

nostro Bestagni die XIX. novembris, anno Domini MCCCLXV., indict. III. presentibus venerabilibus viris Dominis fratre Oddone Abbate Monasterii s. Stephani de Tardona, Joanne de Bassis de Tardona Canonico Tardonensi, Jacobino ex Marchionibus Incisæ Canonico Aquensi, & Joanne Marlino de Guaschis Canonico Ecclesiæ s. Petri de Alexandria testibus vocatis, rogatis, & me Joanne de Quiregio Notario.

Collatio Beneficii s. Juliani de Frascheta Girardino Guascho de Bergoglio Aquensis diœcesis ab Episc. Guidone concessa.

MCCCLXV.

Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes dilecto nobis in Christo Girardino nato Antonii de Guaschis de Bergoglio nostræ Aquensis Diœcesis clerico salutem in Domino. Exigentibus tuarum virtutum meritis, super quibus apud nos fide dignorum testimonio multipliciter in Domino commendaris, inducimur, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos volentes intuitu Dei, & tuorum præmissorum meritorum tibi facere gratiam specialem clericatum beneficium, & præbendam nunc vacantes in Ecclesia s. Juliani de Fraschetta de posse Alexandriæ nostræ Diœcesis prædictæ quocumque modo vacent, tibi conferimus nostra ordinaria potestate, investientes te cum annulo nostro auri, quem in nostris manibus tenemus, de dicto clericatu beneficio, & præbenda, & de omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad eosdem. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus contra præmissa, vel aliquod præmissorum fuerit a quolibet attentatum, vel contigerit attentari. In quorum testimonium presentes fieri iussimus nostro sigillo munitas. Dat. in castro nostro Bestagni, die XIX. novembris, ann. D. MCCCLXV., indict. III. presentibus testibus quibus supra.

Licentia deferendi vestes Laicales duobus Clericis ex M. M. de Ponzono.

MCCCLXV.

Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes dilectis nobis in Christo nobilibus viris Ludovico nato q. Domini Raymundini, & nato q. Domini Bonifacii ex Marchionibus de Ponzono Clericis nostræ Diœcesis salutem in Domino. Vestra supplicatio nobis exhibita continebat, quia vos oportet sæpe equitare hinc inde, & conversare cum aliis nobilibus, & marchionibus, ac dominis laicis dignaremur... *reliqua omitto, utpote eadem prorsus, ac illa, quæ leguntur in præcedenti n. 318.* Actum, & datum in posse loci nostr. Bestagni, juxta molendinum nostrum desuper Burmidam, die XVIII. decembris, anno D. MCCCLXV., indict. III. presentibus Ven. viro D. Petro de la Turre Capellano, Bertramo Sachello de Meladio, & Henrico Gabetto alias Bissola de Ponzono testibus vocatis, & rogatis.

Collatio Ecclesiæ Parochialis s. Hippolyti de Nicia F. Milano ad præsentationem Canonorum s. Mariæ de Aquis.

326

MCCCLXVI.

In nomine Domini amen. Anno ejusd. MCCCLXVI., indictione IV., die XV. junii in castro Bestagni

presentibus venerabili viro Domino fratre Gulielmo Rectore Ecclesiæ s. Mariæ de Quinzano, Gulielmo de Oddoni, Gulielmo Caranti, & Henrico Garabello omnibus de Incisa habitantibus Bestagni testibus vocatis, & rogatis. Cum frater Milanus de Zoppis de Cassinis Aquensis Diœcesis electus Rector, & Minister Ecclesiæ S. Hippolyti de Nicia Aquensis Diœcesis per venerabiles viros Dominos Jacobinum ex Marchionibus Incisæ, Nicolinum Bellexium Archidiaconum, Presbyterum Bartholomæum de Porta, & Joannem de Quiregio Canonicum Aquensis Ecclesiæ, cum in dicta Ecclesia non sint aliqui alii Canonici constituti in sacris exceptis ipsis quatuor, ipsa Ecclesia vacante Rectore per legitimam renunciationem Presbyteri Rolandi de Zarlis olim rectoris ipsius in manibus Rev. in Christo Patris, & D.D. Guidonis Dei gratia Aquensis Episcopi, & Comitis sponte factam, vel per mortem D. Petri de Nummatis electi in Rectorem, & Ministrum dictæ Ecclesiæ, vel aliter quomodocumque vacaret comparuisset personaliter in jure coram præfato D. Episcopo humiliter supplicando eidem, ut electionem de ipso factam confirmare dignaretur exhibens, & producens coram ipso D. Episcopo instrumenta, sicut dicti Canonici petita, & obtenta licentia ab eodem D. Episcopo dictum fratrem Milanum ad rectoriam, & administrationem dictæ Ecclesiæ elegerunt acceptatione, & requisitione factis per dictum electum, nec non edicto per ipsum D. Episcopum transmissis, & affixo ad valvas Ecclesiæ s. Hippolyti de Nicia supradictæ, constituens quod si aliqua persona vellet dicere, vel opponere aliquid contra dictum electum, vel contra illos, qui eum elegerunt, studeret coram ipso D. Episcopo, vel ejus in spiritualibus Vicario infra certum peremptorium terminum statutum legitime comparere, considerato etiam quod nullus apparuit contradictor, quodque dicta electio est facta de persona sufficienti, viso quoque instrumento infrascripti tenoris. Nos Bartholomæus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Abbas monasterii s. Constantii Taurinensis Diœcesis, ordinisque beati Benedicti fratri Milano de Ostergariis de Ast monaco ordinis prælibati salutem, & Apostolicam benedictionem. Exigentibus probitatis, & virtutum meritis, super quibus apud nos fide digno testimonio commendaris, inducimur, ut tibi reddamur ad gratiam liberales; hinc est quod nos volentes tibi præmissorum meritorum tuorum intuitu gratiam specialem, harum serie, tenore, & auctoritate, & potentia, quibus melius valemus, & fungimur, ex privilegiorum nostrorum substantia, ipsorumque potentia nobis attributa damus, concedimus, & arbitramur plenam potentiam cum omnimoda facultate, & baylia tam a SS. in Christo Patre summo Pontifice Domino nostro D. Papa, quam a venerabilibus Dominis Episcopis, Cardinalibus, Abbatibus, aliisque quibuscumque potentiam, & bayliam habentibus beneficia collocandi, & concedendi ipsa beneficia qualiacumque, & quomodocumque, & ubicumque tenentur impetrandi, ipsa acceptandi, & obtinendi, & ipsis, & ipsorum substantialibus utendi, & fruendi ad ejus libitum, & omnimodam voluntatem, obtentisque